



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 95. Reorum nonnulli ob contumaciam damnati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

digressus Fuxium proficiscitur: mox ve-
 ro ipse etiam Jousa cum suis equitibus
 honorifice, & obsequiose specietenus
 exceptus Apamæas venit, quem post-
 ea Joannes Darius Senatus Tolosani
 præses cum sex consiliariis delega-
 tis, qui de causa cognoscerent, se-
 cuti sunt.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1566.

§. XCV.

*Reorum nonnulli ob contumaciam
 damnati.*

Postmodum auditis testibus, & rebus
 pro tempore constitutis, factaque
 spe, ex æquo jus utrique parti dictum
 iri, Præses cum suis consiliariis disces-
 sit: nihilominus Mense Septembri octo-
 decim seditiosi capti sub custodia Tolo-
 sam ducebantur, qui tamen ferme om-
 nes carcere elapsi sunt: insuper Calvi-
 nistæ eoquod vel Senatum Tolosanum sibi
 suspectum haberent, sive innocentia
 suæ haud satis fiderent, propositis a-
 pud Regem suspicionum causis impe-
 traverunt, ut cognitio ad alios iudices
 remitteretur, & de causa Senatus Pa-
 risiensis cognosceret. Quinimo Rex
 hac super re jamjam literas expedire
 jusserat, verum mox Guisii Cardinalis
 sollicitatione decretum regium super
 ea re factum revocatur, & cognitio
 rursus Senatui Tolosano committitur,

Thuan. l. c.

Mm 3

ubi

Sæcul XVI.
A.C. 1566.

ubi tandem in fugitivos, ac contumaces tanquam læsæ Majestatis reos fertur sententia, qua ipsi ad patibulum damnantur, & bona ærario publico addicuntur, detractis in templorum, quæ everterunt, instaurationem quadraginta librarum millibus.

§. XCVI.

Tumultus in Belgio continuati.

Strada l. 5. Belcar. comm. l. 30. Et 43. Grot. Annal. Belg. l. 1. p. 20. Cum in Belgio omnes etiam pœnarum severitate compellerentur, ut cuncta decreta, & decisiones a Synodo Tridentina etiam circa disciplinam factæ in usum deducerentur, inde hoc anno tumultus augeri cæperant, adeo ut etiam hæretici contra Gubernatricem seditionem conflarent, cui quoque Nobiles nomen dabant: præprimis vero contra hanc Principem libellos mordaci calamo scriptos, ac non minus Deo, quam Principibus a Deo institutis injuriosos spargunt: ubi tamen hæc conspiratio fuerat detecta, Gubernatrix suas copias ad ultionem paratas tenebat, & quidem primo lustratis arcibus, suisque propugnaculis Magistratum ad officii sui partes fideliter explendas hortabatur, simulque de conjuratione, quam pertimescebat, suos Oratores, quos apud Cæsarem, Galliarum Regem, & Angliæ Reginam habebat, certiores reddidit: